

121

D. D.  
 APHORISMI MORALES,  
**N E X U M**  
 INTER  
**LEGEM & OFFICIUM**  
 IN  
**STATU ORDINARIO**  
 ET  
**EXTRAORDINARIO**

brevissime delineantes,  
 QUOS,  
*Consensu ampl. Senat. Phil. in illust. Acad. ABOENSI,*  
 MODERATORE  
 VIRO CL.

**DN. ALGOTHO A.**  
**SCARIN,**

Hist. & Philos. Civil. PROFESS. Reg. & Ord.  
 DISSERTATIONE GRADUALI  
*publice examinandos sstut*  
 ALUMNUS REGIUS,

**JONAS GODHEMIUS,**  
 W. GOTHUS,

Ad diem XVII. Julii Anni MDCCLIV. L. H. Q. S. pomerid.  
 ABO.E, Impressit Direct. & Typogr. Reg mag. Duc, Finland,  
 JACOB MERCKELL,

*Ex Candid. Lindell.*





APHORISMUS I.

**U**T manifestum magis evadat, qualis inter legem & officium intercedat nexus, in antecessum vocabula ipsa, quæ vicem tituli in frontispicio sustinent, enucleatius explanare non pigebit, quæ inter præcipua sunt jam memorata, *lex* nempe & *officium*. *HOC*, nobis ut aliis, est actio legibus attemperata & cum obligatione connexa; *ILLA* verò est propositio obligatoria, eaque vel affirmativa, vel negativa, actus vel commissivos vel omissivos, cum motivis combinatos, pro objecto habens. Si cui volupe fuerit eam definire per regulam a superiore latam, ad quam actiones, pro ratione motivorum conformandæ sunt liberæ, illas puta, quæ in potestate nostra, ratione executionis & intermissionis sitæ sunt, quasque ope virium animæ, corporis & status externi, existentiam vel non existentiam, dare convenit, nobis perinde erit; sed non item, si *legem* definiverit quis per *decretum*, quippe quod propriè in mente latet legislatoris & neminem obligat, nisi aliqua ratione communicatum & promulgatum; quo factò, voluntatis significatio, quæ præceptum audit, primum existit. Quod si verò cui visum fuerit uti alio vocabulo, sensu suo abundare eundem lubentes concedimus,

*Handwritten notes in cursive script at the bottom of the page.*

mus; iis imprimis, quibus *regula* notio tanquam metaphorica minus arridet. Nobis certe nullum negotium faceffet, qualiscunque definitio condatur, modo genuina sit & adæquata. Inter *legem* & *officium* suus semper nexus constabit, sua ad se invicem relatio non cessabit, vi cujus unum se refert ad alterum ut principium ad principiatum. *Statum ordinarium* vocamus, in quo custodia legis jam pridem definitæ, *physice* & *moraliter* est possibilis; *extraordinarium* fere contra, ut in sequentibus paulo distinctius demonstrabitur.

APH. II.

**L**Ex requirit obligationem, obligatio officium, officium actionem, actio libertatem, libertas voluntatem, voluntas intellectum, cui motiva competunt, repræsentationes puta bonorum vel malorum, quæ mentem determinant, prout socialitatis statum perfectiorem modo, non raro imperfectiorem etiam reddunt. Unde facile colligi potest, officium non esse conceptibile sine lege, qua durante, durabit etiam officium, cessante vero, cessabit quoq; officium; idque vel in totum vel in tantum, prout lex in totum vel tantum cessat, & in hoc vel illo casu ab obligatione passiva datur immunitas. Quamdiu lex in populo Dei de *Sacrificiis* viguit, tamdiu immolando hostias, Israëlita peregere, quæ ad officium pertinebant; cessante vero hac legis formula, sanguine votivo vitulorum taurorumque litatio nulla, nulla amplius propitiatio obtinuit; nam cessante principio, cessabat etiam principiatum.

APH. III.

**I**dem quod ad rigorem *legis strictæ*, præcipue vero



rò naturalis, vinculi indissolubilis perpetim manente privilegio, in casu extraordinario & articulo gravissimæ necessitatis extrema minitantis, quoque valet, ubi propter summam animi perturbationem & periculi gravitatem eo angustiis redacti fuerimus, ut in potestate nostra neutiquam modo, plerumque semper non nisi ægerrime positum sit observare regulas, ad quas actiones nostræ liberæ, in statu tranquillo, alias accommodandæ fuissent; sed easdem ferme omnes migrare cogimur, quatenus diversis legum formulis, quæ indaginis & momenti plus habere videntur, suo quodam modo contradicunt. Cum enim contradictoria non esse possint compossibilia; ex collisione regularum, quæ simul & semel observari nequeunt, rationem præsentis status & vitæ conditionis exceptionem a præcepto locum quære & invenire, quis non videt? Condidit leges suas superior non in destructionem, sed conservationem generis & gentis suæ; idque non sine sensu imbecillitatis humanæ. In illo vero casu, quo vitæ humanæ ingens periculum & socialitati major noxa ex servata lege imminet, quam ex eadem non violata, utilitas: præsumitur non sine ratione legislator ex affectu suo benevolo voluisse rationem magis, quam literam legis attendendam esse, nempe ubi hæc absolute & præcise spectata officium non promovet, sed illud idem directe lædit & labefactat. Videtur illa quidem prævaricationis indulgentia non parum derogare sanctioni, quæ pro conditione materiæ seu objecti, primas omnino partes in amore nostri  
Deo

Deo deberi ait: verum ubi nulla Numinis abnegatio, neque contemptus ejusdem est metuendus, pati exceptionem non minus illam veritatem, nexumque inter *legem & officium* neutiquam solvere, Moralistæ ante multo evictum dedere. Sed erit de illo problemate in sequentibus commodior dicendi locus.

## APH. IV.

**N**Ovi equidem, quemadmodum idem invitus neque concedo, libertatem, quam dixi, legi strictæ ejusque effectui, juri nempe perfecto, contrariam esse; nempe cum intercedat ratio eadem inter legem strictam & jus perfectum, quæ inter principium & principiatum, causam atque causatum; quin, cum lex stricta causæ rationem habeat; sequi velle videtur, jus rei cujusque habendæ aut agendæ esse omnino effectum ejus modo memoratæ legis. cum vero favor necessitatis legi strictæ repugnet; ad favorem illum frustra quis recurrere posse videtur, cum incolumitatis suæ in illum modum servandæ & propagandæ, non nisi imperfectum jus habeat. denique cum obligationem imperfectam, nisi intercedente pacto, in perfectam nemo transferre possit; deficiente enim causa, ipse etiam effectus explicit: quis non videt, stante privilegio *necessitatis* isto, esse omnem inter officium legemque nexum frustraneum; certe in aëre piscari velle omnem, qui incerta ista, certa fieri posse postulaverit.

## APH. V.

**H**Oc tamen non obstante dubiolo, existimamus nexum manere firmum diverso respectu, videlicet



et juris illius sublimioris intuitu, de quo jam modo dicere cœpimus; quale ad officium perinde pertinere, certe non implicare, aut quod videri, superari ve nequeat, scopuloso loco positum esse non speramus. Est ab auctore naturæ peculiariter nobis injuncta conservatio nostri, adeoque facultas concessa adminicula circumspiciendi, & quidem ordinaria in statu ordinario; extraordinaria in statu extraordinario, pro ratione necessitatis prementis; siue sint adminicula ista penes nos vel alios sita. Si in nostra potestate sita sint, locum habet illud, exempli causa: *cuncta prius tentanda, sed immedicabile vulnus ense recidendum, ne pars sincera trahatur*: si in aliorum, jure non quidem fruimur perfecto, respectu legis strictæ, eos cogendi ad officia & auxilia nobis exhibenda, quemadmodum de pacto promissive perfecto fundatis, illud dici potest. philosophatur una nobiscum in illum modum etiam magni nominis Juris Consultus Coccejus, cujus hæc sunt verba: *extrema necessitas nunquam jûs in alienas res indulget*: attamen quatenus jam nullus est aditus ad alia adminicula, quibus conservari queamus, ea, ab aliis, eadem necessitate non detentis, postulare, imo, si auxilia sua nobis denegent, eadem extorqueri posse, non obscurè patet; id quod tanto magis excusabile est, quanto testatius significant, se juri nostro, a supremo Numine concesso, aliquid detrahere; perfectioni nostræ, quam secundum officia *erga alios* generalia promovere deberent, obstare, minimum eam impedire, & ex consequenti instar hostium

stium nos lædere non tantum velint, sed per duritiam cordis, quantum in se conferant, ut, nullo nostro merito, intereamus; esto, quod lex strictè sic dicta & jus externum cogens, custodiam officiorum strictè dictorum, & cohibitionem ab humanitatis officiis deprecandis, nobis vehementer inculcet.

## APH. VI.

**E**T enim quamdiu in statu ordinario constituti sumus, tamdiu etiam officia stricta, nempe quæ perfectæ & imperfectæ obligationis audiunt, præstare, & ab officiis indebitis exigendis abstinere oportet; quam primum autem in extraordinarium, nulla nostra culpa inciderimus, (non dico, ab aliis malitiose conjecti fuerimus, tum enim alia exurgit ratio, patulum & apertum magis dispensandæ pro lubitu libertatis suæ spatium existit,) facultatem, officia imperfecte debita extorquendi, quin imo, stricta, minimum hypothetica migrandi, nanciscimur. Succurrit asserto nostro notissimus Moralistarum canon: *ex duobus vel pluribus, in illo articulo malis, quod minus fuerit, est eligendum* idque rationem boni habere censendum. Est neque alia Ciceronis mens de officii moralitate differens: *quod si tempora incidant, inquit, quibus, quæ justo homine digna fuerint, contraria videntur, ea, quæ ad fidem & veritatem pertinent, nonnunquam migrare & non servare, justum evadit*. Fundamentum hujusce, a canone divertendi privilegii quærendum est non solum in benevola legislatoris mente, qui casus necessitatis ab obligatione legum strictarum exemptis censetur; Sed fundatur insuper etiam in ordi



dinata philautia, nosmet nobis proximos dictitante & interitum nostri perhorrescente atque fugiente: imo in publico bono etiam, ex privato singulorum hominum commodo dependente, quorum conservatio innoxiae salutis publice salutaris est, & prae legis nonnullius custodia observanda venit. Breviter sic habemus: quemadmodum studium conservationis nostrae est principium, cui officiorum non unius generis, stricte sic dictorum, custodia innititur; ita abstinentia ab extorquendis officiis imperfecte debitis, quamdiu recte & ordine fiunt omnia, pro principiatio est habendum. Periclitante vero necessaria nostri conservatione, negligitur custodia officiorum erga alios strictè dictorum, & per consequentiam abstinentia ab extorquendis officiis erga alios, pietati, humanitati, honestati, pudori, religioni & conscientiae relinquitur; nam cessante, in statu irregulari, principio ordinario, cessat etiam ejusdem generis principiatio, & in locum eorum succedunt extraordinaria, quae inter idem est nexus, ac inter ordinaria in statu ordinario.

## APH. VII.

**I**nterim probe attendendum est ad distinctionem inter divinas & humanas leges; *harum*, uti constat, adeo stricta non raro obligatio incumbit, ut unquam latum ab eadem discedere non sit salutare, si ve! maxime incolumitas hominis periclitetur: sic militi, stationem, sub comminatione capitalis supplicii, si discedat, injunctam, minime consultum est deserere, etsi mors ipsa in oculis versatur. *Divinae,*  
illas

illas puta, quae DEUM pro objecto habent, praesertim negativae, ejusdem, si quae aliae, tenoris atque rigoris, esse sunt censendae, nempe ut exceptionem illae neque patiantur in iis, quae supereminens imperii illius majestatem directè laedunt, quantacunque urgeat nostrae incolumitatis necessitas; nempe si in eo statu constituti fuerimus, ut ommissio alicujus rei nobis non penitus impossibilis fuerit. Habet in illo casu nostra obligatio pro objecto *rem absolute* necessariam, cujus illa perpetuo indoles est, ut omnem minoris mali electionem, libertatem, omnem voluntatis exercitium: atque hinc omnem obligationem in contrariam partem inclinantem, respuat. Velit quis huc trahere exemplum septem Maccabæorum, esum carnis suillae averfantium atque detrectantium, non erit nobis contrarius, nisi ponatur illos obsidione cujusdam urbis clausos fuisse, nihilque praeter carnem suillam ad vitam sustentandam habuisse. In hoc casu minus utique malum fuisset edere, quam legem servando perire, idque eo magis, quo certius constat, occupationem urbis potius heic intendi, quam scandali peccatum; in altero autem casu non item, ut ita videri poterit; si enim edissent, maximum certè idemque gravissimum penes bonos excitassent scandalum, & gaudio triumphi prope *mali* exsultassent. In ejusmodi casibus nexus inter legem & officium est strictissimus. strictissimum dico, quia legis positivae strictae curatissima inibi conspicitur primum obligatio, mox observatio. Divinae affirmativae, sive ipsum DEUM, sive alios pro objecto habeant,



beant, non ejusdem sunt rigoris, quamvis Daniel cultum Dei externum, prohibente regis edicto, negligere noluerit, Dan. VI: 10. Obligatio enim non prius invenit locum, quam possibilitas legis obedientiæ adest, qua absente, neglectus eo minus imputatur, quo imputabilitas non modo actum scientis & volentis, sed etiam possibilitate gaudentis involvat. Ex allatis nunc infertur, necessitatem, in statu irregulari, quoque se referre ad *officium*, ut principium ad principiatum.

## APH. VIII.

**E**Xtra casum necessitatis & pactionem officia humanitatis omnem coactionem eludunt, ut ex antecedentibus constat. Ideo Israëlitis, summo etiam Numine jubente, necessum fuit a filiis Esau aquam emere, cum terram eorum transirent Deut. II: 6. Et cum hoc accidit, idem nexus inter officia imperfecta & legem cogentem, atque inter legem cogentem, & officia perfecta, esse videtur.

## APH. IX.

**I**N actibus coactionem nescientibus, religiosos jam loquimur, eosdemque tam internos, quam externos, nexus in se, inter legem & officium non ideo solvitur, quod ejusmodi actiones legi exacte non respondeant. Notum est dari gradus *intellectus* & inde gradus *cognitionis*, minimum duos, scientificæ scilicet & opinativæ. Ex gradibus intellectus atque cognitionis oriuntur *judicia* varia, objecto vel consentientia, vel ab eodem dissentientia; variantibus *judiciis*

*cuis* & cogitationibus, variant etiam motiva, tam quod ad quantitatem, quam qualitatem; & ut judicia, vel in vera vel in *fa* *fa* abeunt: pro ratione motivorum iterum, actiones nominatæ variant. sic actiones religiosæ in Christiano, hæretico, ethnico, vel rite vel perperam, idque diverso modo, ad legem se habere possunt. Hoc vero non impedit, quominus nexus inter legem & in DEUM officia, quod ad obligationem strictiorem atque veram, indissolubilis *in se* persistat, quamvis officia fallant, & debito objecto ejusque perfectionibus non congruant. Quid? quod speciem coherentiam inter legem & actiones suas, quamvis non recte comparatas, quod ad obligationem debiliorem, figurari posse, ethnici & hæretici opinentur utrinque.

## APH. X.

**Q**ui officia erga DEUM pro onere reputat, verum nexum inter legem & officium, si non profusus dissolvit, tamen invertit, cum in locum motivorum voluptatis, motiva tædii substituat.

## APH. XI.

**E**X notione *legis* evidens est, inter eandem & actiones somni non esse nexum, quoniam in illo statu vix ulla datur scientia sui, nedum conscientia, nulla perceptio, multo minus apperceptio, nulla, ex consequenti, cognitio intellectus, neque, ex distincta boni repræsentatione, voluntatis aliqua inclinatio. Ob easdem ferme rationes, inter legem & actiones infantum, furiosorum, mente captorum & summe ebriorum, sui neque compotum, nexus nunquam ferè invenitur.

## APH. XII.



## APH. XVII.

**I**Nter actiones brutorum & legem, cujus non sunt capacia, nexus frustra quaritur, nisi instinctum sui conservandi, nulli non rei creatæ inditum, significationem legis, propriè sic dictæ, subire velimus, quod omnino absurdum est censendum. Eam ob causam certe nulla officia, nisi improprie talia, in eadem cadere possunt. Inde quæ in relatione ad illam, puta inferiorem naturam, perpetrantur læta aut dolorifica, eadem prout in nosmet ipsos vel in alios redundant; ita hominis agentis quoque misericordiæ vel immisericordiæ tribuenda, in illius laudem vel vituperium cedere sunt censenda. Hinc neque propriè dici potest, injuriam illis, si male tractentur, verum DEO eorum conditori, inferri. id quod de rerum inanimatarum abusu quoque sentiendum est.

Et vel ex hisce levissimis paucissimisque quodammodo patere existimamus, qualis inter legem & officium, tam in statu regulari, quam irregulari, nexus intercedat.

DEO SOLI GLORIA.

